Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 927

Quelle:
Copyright:

In Codice	In Editione cit.
Ecce chriſtum iudicem et regem, dominumque et deum eſſe ueteris teſtamenti auctoritate prophetarumque teſtimoniis comprobauimus. Tenent iſta omnia libri inimicorum, legunt quidem ſed non intelligunt, quia omnia ſignata ſunt &c.	*Ecce novi Teſtamenti judicem et regem de prophetis, ecce Chriſtum ex lege omnium dominum tenent. Iſta omnia in libris Hebraeorum legunt Judæi et non intelligunt, quia omnia ſignata ſunt* &c.

Liber II. *Capp.* XXVI. numero convenit. In Praefatiuncula Codex melius: *quantae prophetarum voces adjectionem — cecinerunt*, quam Edita: *quanta — in abjectione;* ſed in *Recapitulatione Operis*, quam Codex *Reprobacionem Judeorum* inſcribit, hic in verba: *in nouam fidei graciam ambulamus*, deſinit, et non quidem illam Particulam de *Formulis ſpiritualis intelligentiae*, ſed ejus loco adſcriptas habet Quaeſtiones duas, unam de poteſtate *Balaam* maledicendi Populo Dei, alteram, cur in *Geneſi* ad Opus ſecundae Diei non ſit additum: *et vidit Deus, quod eſſet bonum;* item Obſervationem de Modo, quo Daemones in homines intrent. Unde haec depromta ſint, quaerere non videtur operae pretium. Monebo potius; *Iſidori* Scripta tam diverſis Titulis ferri, ut facile quem in errorem inducere poſſint.

II. *fol.* 26. p. 2. *Incipit Liber Bacharij Epiſcopi de penitentia.* Dixi de hac Epiſtola et ejus Autore debentia dici *Vol.* I. P. 1. *col.* 253. In Exemplo praeſenti poſt verba: *Unde ergo ad te paululum, cuius cauſa hec diximus, uerba uertamus*, quibus *Bachiarius* ab *Januario* ad ipſum Monachum lapſum tranſit, nova Rubrica interſtinguit: *Epiſtola ejusdem conſolatoria.* Textus ipſe ad Edita *Biblioth. PP. Lugd.* T. VI. p. 1174. expenſus imperfectior eſt. Ita mox ſub principium pro *obturato linguae ſibilo* habet *fiſtulo*, et *in templo ſuo diabolicus dedit exercitus* pro *in triumpho ſuo;* quaedam tamen ſunt, quae Editis ſaltem aequipares. Ita in fine bene poſt *interuenire merearis* additur: *ad dominum noſtrum Ieſum chriſtum.*

III. *fol.* 35. p. 2. *Incipit prologus in Librum allegoriarum ueteris teſtamenti.* Haec minio; in margine vero manu coaeva currente: *Yſidorus.* Item *fol.* 99. *Incipit prologus yſidori in librum allegoriarum noui teſtamenti*, et ad calcem totius tractationis *fol.* 129. *Explicit liber allegoriarum yſidori ſuper euangelia.* Scripſiſſe *Iſidorum* commentarios tam *literales* quam *allegoricos* in Biblia, certum eſt. *Allegorici* in quosdam Libros extant Edit. *ſuprac.* p. 413. et a me non ſemel relati ſunt, atque in horum cum Praefatione, tum initio de *Literalibus* ipſemet teſtatur: *Quia jam pridem juxta literam a nobis ſermo totus contextus eſt*, et: *Creatura*